Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sias rex contaminavit tophet, quod est in valle filii ennon, ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem moloch. Ad hoc ergo sacrilegio specialiter in hoc loco detrectat ipsis ille, nam et alia precepta quibus illis ydolatria generaliter interdicitur.

Qui fecerit aliquid ex his que superius prohibita sunt morte moriatur.

Anima que declinaverit ad magos et ariolos et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam et interficiam illam de medio populi sui. Paulo ante hoc prohibuerat: nec declinetis inquiens ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos. Et notandum quod fornicationem anime nominat, si relicto deo demones consulat. Deus enim vir est anime nostre, toto corde a nobis diligendus, cui etiam totam spem nostram committere debemus. Si ergo eo contempto cum inimico illius pacem facimus et ab illo auxilium petimus, gravius utique ista fornicatio est, in qua etiam ipsi deo manifestam contumeliam irrogamus. Desperasse enim de illo fuit, in aliqua necessitate ad eius adversarium confugisse. Unde et ochozias rex israel cum egrotasset et misisset nuntios dicens: ite consulite beelzebub deum accaron, utrum vivere queam de infirmitate hac, angelus domini locutus est ad helyam thesbiten dicens: Surge ascende in occursum nuntiorum regis samarie, et dices ad eos: Numquid non est deus in israel, ut eatis ad consulendum beelzebub deum accaron? Quam obrem dicit dominus: De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Sequitur: Sanctificamini et estote sancti, » quia ego sanctus sum dominus deus vester. Custo- » dite precepta mea et facite ea. Et ne forte desperetis vos posse sanctificari, aut si quid iam sanctitatis habetis, vestrum hoc esse arbitremini: ego dominus qui sanctifico. Item quod in exodo preceperat: honora, inquiens, patrem tuum et matrem tuam, ut sis longevus super terram, huius etiam precepti violatorem mortis sententia dampnat dicens: Qui maledixerit patri suo et matri, morte moriatur. Hocque ad confirmationem repetens, patri inquit et matri qui maledixerit, sit sanguis eius super eum. Ubi advertendum est grave esse parentum iniuriam, que licet sub remissione novi testamenti non statim morte vindicetur, sicut fieri visum est sub austeritate veteris, reatus tamen impar non est, et pena illius nisi dum vivit homo per penitentiam se correxerit, si differtur non aufertur, sed gravius ut supra diximus sub divino examine punietur, quia cumque per pacientiam illius peiores efficiuntur. » Si mechatus quis fuerit cum » uxore alterius et adulterium perpetrarit » cum coniuge proximi sui, morte mo- » riantur et mechus et adultera. » Hoc ad illud respicit quod in exodo dictum est: non mechaberis. Verum cum david adulterium recolo, et video illum non statim morti destinatum, sed uno verbo veniam assecutum, cum propheta arguenti respondisset: peccavi domino; dictum est enim illi: dominus transtulit peccatum tuum, non morieris; intelligo iam in illo viro formam evangelicam precessisse, dum penitendo et confitendo abluit culpam et legalem » evadit sententiam. Qui dormierit » cum noverca sua et revelaverit igno- » miniam patris sui, morte moriantur » ambo, sanguis eorum sit super eos. »